

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 230902b

Saturday 02.09.2023

Letter of the Holy Father to the special envoy to the celebration of the Coronation of the Image of Our Lady “Health of the Sick” (Archdiocesan Shrine of Smolice in Poznán, Poland, 9 September 2023)

His Eminence Cardinal Dominik Duka, O.P., archbishop emeritus of Prague, was appointed on 8 July 2023 as special envoy to the celebration of the coronation of the image of Our Lady “Health of the Sick”, to be held at the Shrine of Smolice, archdiocese of Poznán, on 9 September 2023.

The special envoy will be accompanied by a Pontifical Mission composed of the following ecclesiastics:

- 1) Msgr. Bogdan Czesz, consultor of the Commission for the Doctrine of the Faith of the Polish Episcopal Commission;
- 2) Msgr. Ireneusz Dosz, chancellor of the metropolitan Curia of Poznán.

The following is the Holy Father’s letter to the special envoy:

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro

DOMINICO S.R.E. Cardinali DUKA, O.P.

Archiepiscopo emerito Pragensi

«Ecce Christus ad lectum aegroti clamatus venit. “Domine, puer meus iacet in domo paralyticus et male torquetur”. “Ego veniam et curabo eum” (*Mt 8,6.7.*). Hic est eventus – unus ex multis; totum Evangelium similium rerum plenum est – Christus ad aegrotos clamatus, Ipse ab ipsis invocatus. Christus vero famulatur infirmis

dolentibus» (s. Ioannes Paulus II, *Homilia* 1, Gedani, die XII mensis Iunii, anno MCMLXXXVII). Ubi autem Ipse, ibi etiam semper eius Suavissima Mater adstat, quae nomine *Salus infirmorum* a christifidelibus merito appellata eoque quidem fidenter invocata pro filiis suis, sub cruce acceptis, velut Mater (cfr *Io* 19,27), magnopere apud Deum intercedit.

Novimus autem ex litteris Venerabilis Fratris Stanislai Gądecki, Archiepiscopi Metropolitae Posnaniensis, celebrem imaginem, gratiis clarentem ac plurimis miraculis, *Dominæ Nostræ Salutis Infirorum*, quae in archidioecesi Posnaniensi in vico v.d. *Smolice* iam a XIV saeculo pie colitur, coronis, a Nobismet Ipsiis in Urbe die XVII mensis Maii currentis anni benedictis, decoratum iri, ad maiorem gloriam atque splendorem Beatae Mariae Virginis, cuius protectio et intercessio apud Deum temporis pandemiae viri coronarii peculiari modo animadversa est.

Ideo, memoratus Praesul humanissime quaesivit ad sollemniorem efficiendum hunc ritum magisque Redemptoris Matrem honorandam, ut Nos Patrem Purpuratum eligeremus, qui apud Sanctuarium *Dominæ Nostræ Salutis Infirorum* in *Smolice* inter Missarum sollemnia personam nostram gereret. Te quidem, Venerabilis Frater Noster, qui peculiari cultu ac devotione erga Virginem Sanctissimam emines, ad dictum eventum fidenter comiterque destinamus. Itaque, hisce Litteris te Missum Extraordinarium nostrum nominamus ad memoratum ritum incoronationis, qui proxima die IX mensis Septembris in dicto Sanctuario sollemni modo celebrabitur.

Liturgicis ritibus praesidens nostram benignam istic adstantibus significabis salutationem, praesertim Posnaniensi diligenti Pastori itidemque omnibus Fratribus in episcopatu, presbyteris, diaconis, cunctis vitae consecratae membris et christifidelibus laicis. Deinde omnes congregatos ferventer hortaberis ut Beatissimam Mariam Virginem filiali corde constanter colant atque omnes vitae sollicitudines eius intercessioni piissime committant, quia ipsa omnes filios suos ad Dei Filium, qui est via, veritas et vita (cfr *Io* 14,6) tute et suaviter dicit.

Nos profecto tuam missionem precibus comitabimur, dum iam nunc enixe te, Venerabilis Frater Noster, committimus amantissimae tutelae Beatae Virginis Mariae eiusque Sponsi sancti Joseph. nostram denique Benedictionem prolixe tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam, vicissim pro gravi Nostro Petrino ministerio exercendo preces postulantes.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXXI mensis Iulii, in memoria s. Ignatii de Loyola, presbyteri, anno MMXXIII,
Pontificatus Nostri undecimo.*

FRANCISCUS